

Oppida, quae habent peculiarem Patronum, servare tenentur festum hujus Patroni particularis loci dumtaxat. n. 4267 ad 3 die 26. Mart. 1757.

Cf.: *Patronus Ecclesiae; Patron. loci* (sensus verbi etc.; decr. de die 14. Febr. 1705); *Off.* (Oblig. ad quod; decr. n. 4985; 4501.)

14) Principalis.

a) Anticipatio festi.

Vd.: *Patronus principal.* (transl., decr. n. 4596.)

b) Estne festum mobile?

Vd.: *Patronus civitatis, loci, Dioeces. etc.*

Ad dubium: An festa Patronorum principalium haberi debeant tamquam festa mobilia?

Et S. C. respondit:

„Negative, cum hujusmodi festa certis Dominicis infra eorundem octavam sint perpetuo assignata et nisi per accidens transferenda erunt.“

Et ita etc. n. 4553 ad 2 die 18. Oct. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Festa Patronorum perpetuo affixa certae Dominicae immediate post diem propriam vel alteri pro casuum diversitate assignatae adnumeranda non sunt festis mobilibus, nisi lato modo, quia scilicet non semper eadem die mensis celebrantur: habent tamen certam sedem, a qua non nisi accidentaliter queunt amoveri. Vere mobilia censentur et sunt illa, quae pendent a Cyclo Paschali, idcirco et festa, de quibus modo res est, mobilia dicenda forent, si Dominica assignata esset ex. gr. tertia post Pascha, quarta post Pentecosten etc., quae singulis annis variant.

c) Estne festum de praecepto?

Cf.: *Votum.*

Festum principalioris Patroni in quocunque Regno sive Provincia et alterius pariter principalioris Patroni in quacumque civitate aut oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit, est praeceptivum cum obligatione audiendi Sacrum et vacandi ob operibus servilibus.

S. R. C. 13. Sept. 1642.

Si festum sit Sancti tamquam Patroni loci, electi a clero, populo etc. illius loci cum approbatione Episcopi vigore Constitutionis Urb. VIII. juxta decreta S. R. C., tum festum dicti Sancti erit de praecepto observandum et celebrandum ab incolis totius loci etiam a Suburbanis, alias negative.

S. R. C. 15. Sept. 1742.

Vd.: *Patronus loci* (Oblig. cleri saec.; decr. 22. Mart. 1817.).

d) Nominatio in ejus missa vot. in orat.: „A cunctis.“

Vd.: *Concede* (decr. n. 4560.).

e) Octava.

De *principaliori* dumtaxat Patrono celebrandum esse festum cum octava. n. 1130 die 26. Mart. 1639.

Vd.: *Patronus civit.* (octava); *S. Lucia. De transl. octavae* vd.: *Patron. princip.* (transl. festi; decr. 4553 et alia.)

f) Offic. Regul. et Saecul.

Cf.: *Patronus loci* (Officium etc.).

Regulares tenentur celebrare festum et officium de Patrono principali loci Conventus ac de Patrono seu Protectore principali civitatis, Regni aut Provinciae sub ritu duplici primae classis et sine octava.

S. R. C. die 3. Junii 1682 et 20. Mart. 1683, ut patet in Rubricis particularibus

Breviarii Franciscani n. 78. et 80. Ad Officia vero de *Patronis minus principalibus* ac de Sanctis Dioecesium non tenentur, nisi sint descripta in Calendario et tunc non sub alio ritu, quam ibi assignato. Cit. Rubr. particul. d. n. 78. ex decreto S. C. R. ibi adducto. Ad hoc autem, ut Regulares teneantur ad Officia Patronorum principalium et Clerici Saeculares etiam ad Officia Patronorum minus principalium, debent esse electi in Patronos juxta conditiones praescriptas in d. Decreto Urbani VIII. adducto supra t. II. p. 683.

Officium Patroni principalis loci tenentur omnes recitare sub duplici primae classis, Clerici quidem Saeculares cum Octava, Regulares autem sine Octava. S. C. R. 27. Maii 1628 et pluries in aliis Decretis

g) Translatio festi.

Vd.: *Reductio festorum* (decr. n. 4552); *Dedicatio Eccl. omnium* (transl. decr. n. 4897; 5215); *Patronus civit.* (missa etc.); *Patron. loci* (transl.).

Cum festum s. Francisci de Paula anno 1706 incidat in fer. VI. majoris hebdom., Clerus Consentinus pro translatione ejusdem cum Octava tamquam de Patrono principali et cum obligatione illud servandi supplicavit.

S. C. resp.: Dumtaxat ad fer. 2. post dominicam in albis, sine tamen Octava et cum obligatione illud servandi pro illis locis, in quibus servari solet, posse transferri. n. 3737 die 5. Decb. 1705.

Ad dubium Vicarii Capituli Monopolitanae: an cum Officio transferendum veniat etiam praeceptum audiendi Sacrum?

S. C. resp.: Negative et in fer. VI. in Parasceve non teneri audire Sacrum. n. 3739 die 20. Mart. 1706.

Ad dubium: An translatio festorum Patronorum principalium intelligenda

sit de tempore tantum sequenti? et in casu, quod intelligi debeat etiam de praecedenti, quae regula habenda, si de praecedenti vel de sequenti?

Et S. C. respondit:

„Dispositionem Brevis comprehendere omnia festa Patronorum principalium tam quoad tempus praecedens, quam quoad subsequens: quoad vero regulam tenendam provisum.“

Et ita etc. n. 4553 ad 1 die 18. Oct. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dubium hoc obscurum est. Videtur tamen in eo postulari, num amovenda sint a propria sede, ut ad proximam dominicam transferantur, illa Patronorum festa, quae de praecepto servabantur, priusquam prodiret Apostolicum indultum reductionis et translationis festorum pro utriusque Siciliae regno, an potius ratio dumtaxat habenda sit eorum Sanctorum, qui in posterum in principes Patronos erunt forte assumendi? Clara namque est dispositio Brevis, quae comprehendit Patronos omnes tam electos quam eligendos; nulla quippe fit distinctio, imo directe de Patronorum festis agitur: *quibus adjunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus*, quae dictio intelligenda praesertim est cum de praeterito tum de praesenti statu, ita ut sensus sit: *Festa illa Patronorum, quae hucusque in die propria solemniter sub utroque praecepto servata sunt, in posterum transferantur ad proximum diem dominicum:* Quod vero aequè provisum sit festis illorum Sanctorum, quorum electio in Patronos alicujus civitatis vel loci in posterum fiet, non est dubitandum. Quamobrem sapienter S. C. respondit: *Dispositionem Brevis comprehendere omnia festa Patronorum principalium tam*

quoad tempus praecedens quam quoad subsequens.

Ad dubium: An, translato festo Patroni principalis in diem dominicum, transferri debeat simul in Sabbatum dictae dominicae praecedentem Officium et Missa de Vigilia?

Et S. C. respondit:

„Affirmative quoad jejunium et abstinentiam ac etiam quoad Officium Vigiliae, quatenus festa sint ex illis, quae gaudent Vigilia quoad Chorum.“

Et ita etc. n. 4553 ad 3 die 18. Oct. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

In literis Apostolicis in forma Brevis datis a S. M. Pio VI. super reductione festorum pro dioecesibus subjectis in temporalibus potentissimo regi Borussiae indulta legitur translatio ad Sabbatum vigiliae festorum, quae a die propria amota in dominica infra Octavam reponenda perpetuo erant. Cum igitur par sit ratio, eadem dispositio sequenda erit. Immo si fieri contingat de loci Patrono in die dominico, et feria II. occurrat festum, quod vigilia gaudet, in praecedenti Sabbato anticipanda, haec pro utroque prodesse posse videtur. Sed quia contingere potest, ut utriusque vigilia proprium Officium habeat et non tantum onus abstinentiae et jejunii; ideo diversa ratio tenenda est et in casibus particularibus recurrendum ad S. R. C., quae, juxta eorumdem diversitatem, providebit. Id melius declarabitur in altera ex sequentibus adnotationibus.

Ad dubium: An translato festo Patroni principalis in diem dominicum transferatur etiam tota Octava vel reliqui dies Octavae, si supersint? Et in casu, quo transferri debeat festum Patroni principalis in diem dominicum et celebrari cum tota Octava, quae regula habenda circa lectiones nocturnorum, cum in Octavario Romano R.

P. Gavanti non semper assignentur, eo quod Officium Octavae fixum erat certis diebus, uti videre est in Octavario Romano?

Et S. C. respondit*)

„Ad primam partem: Si festum fiat in dominica fixe assignata, retinet integram Octavam, quia haec habetur ut dies propria: ea vero accidentaliter impedita, si ulterius sit transferendum, Octava perit. Quoad secundam partem: provisum per Rubricam de Octavis n. 4. et per regulam traditam a Gavanto in praefat. ad Octavarium Romanum: Quod si adhuc super hoc dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.“

Et ita etc. n. 4553 ad 4 die 18. Oct. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Si festo Patroni principalis assignata est in perpetuum certa determinata dominica, numquam in postero varianda, nisi per accidens in occurso festi aequalis ritus sed majoris dignitatis; recta consequitur, quod gaudere debet omnibus indultis, privilegiis, praerogativis, quae principalium Patronorum festis competunt, ac proinde etiam Octava. Quid autem si non habeantur lectiones propriae pro singulis Octavae diebus? Provisum satis est per Rubricam, quae tit. de Octavis n. 4. generalem dat regulam; deinde vero, quia aliquando propriae lectiones desunt quoad Patronos principales locorum, ita prosequitur: *Infra Octavas*

*) Episcopo Tarentino de his verbis dubitanti S. C. resp.: Dominicam, in qua perpetuo reponendum erit festum Patroni pr., habendam esse ut diem propriam ac proinde gaudere octava et omnibus privilegiis et praerogativis, quae festis Patron. pr. conveniunt; octavam vero perire, si ob aliquod impedimentum per accidens sit festum transferendum. n. 4557 die 18. Oct. 1818.

vero Patroni vel Titularis Ecclesiae vel alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit una cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habeantur propriae et adprobatae lectiones pro II. et III. Nocturno, infra Octavam repetuntur lectiones positae in communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin lectiones diei festi. Non ita multo post, adprobante S. R. C., evulgatum fuit Octavarium Romanum a cl. P. Gavanto, qui in praefatione adnotat ad praefatam rubricam: *Hinc habentur* (in hoc scilicet Octavario) *approbatae lectiones pro Octavis propriis et communibus Sanctorum. Quod si in III. Nocturno communes non deserviant aliquibus festis, quae videlicet proprium habent Evangelium, eo casu post dictum festum (in quo legi debet proprium Evangelium cum sua Homilia) in sequentibus diebus infra Octavam lege Evangelium in Missa et Officio vel primum vel aliud congruentius de communi cum suis Homiliis ... in die vero Octava legatur in III. Nocturno, ut in die festo, si propriis careat: Quatenus hujusmodi teneantur regulae, difficillimum erit, dari casum, cui per easdem satis consultum non sit.*

Ad dubium: An simul cum festo Patroni principalis in diem dominicum translato transferantur simul omnes solemnitates, concessioniones, privilegia, indulta, indulgentiae, prohibitiones Missarum in Oratoriis privatis etc. eidem festo adnexae?

Et S. C. respondit:

„Affirmative, quia dominica, in qua festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est, ac si esset dies propria.“

Et ita etc. n. 4553 ad 5 die 18. Oct. 1818*).

*) Cf.: S. Antonius de Pad. (decr. n. 4554); *Indulgentia; Applicatio pro populo* (decr. n. 4554); *Reductio festorum.*

Ad dubium: Occurrente festo Patroni principalis, eo quod transfertur in diem dominicum, cum festo I. cl. vel Ecclesiae particularis vel ordinis vel dioecesis vel nationis vel Ecclesiae universalis, de quo celebrandum erit Officium? id est: quae festa vel solemnitates impediunt fieri festum Patroni principalis?

Et S. C. respondit:

„Impedimentum ponunt dominicae omnes 1. et 2. cl. vel in quibus occurrunt festa 1. cl. majoris dignitatis. Quoad reliquam dubii partem, si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.“

Et ita etc. n. 4553 ad 6 die 18. Oct. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Cum agatur de locorum peculiaribus Patronis, nulla habenda ratio est regulae, quae in plurium Officiorum aequalis ritus occurrence obtinet. Res est de perpetua translatione ad dominicam. In hac autem plura occurrere et varia impedimenta possunt, quibus generali dispositione opportune provideri nequit. Ideo S. C., postquam generaliter respondit, dominicas I. et II. cl. et festa aequalis ritus sed majoris dignitatis impedimentum ponere, simul addidit: *Si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.* Forte tamen aliquis rogabit, curnam dominicae II. cl., hoc est inferioris ritus, nequeant admittere hujusmodi Patronorum festa, quae, ut supra dictum est, habere debent ut propriam perpetuamque sedem diem dominicum, in quem transferuntur; quandoquidem jubet rubrica, ut in dominica II. cl. fiat de festo dupl. I. cl. occurrente? Facile dubium solvitur, si advertatur, rubricam loqui de accidentali occurrence, non autem de assignatione perpetua dominicae II. cl. pro celebrando festo ritus dupl.

I. cl. Porro id accideret quoad festa illorum S. Patronorum, quae semper aut fere semper incidunt in Adventu et Quadragesima. Nullatenus proinde licet hujusmodi festa non accidentaliter sed perpetuo transferri ad aliquam ex dominicis II. cl., quae juxta Ecclesiae instituta plenae sunt mysteriis et solemnibus adnumerantur. Quid igitur? Ubinam hujusmodi festa collocanda? Ut mihi videtur, illis, quae occurrunt a Septuagesima ad dominicam in albis, aliqua assignari poterit ex dominicis post Pascha; aliis vero, quae cadunt in Adventu, per anticipationem aliqua ex dominicis mensis Novembris. De hac anticipationem exemplum habemus in praefato *Brevi S. M. Pii VI.* pro dioecesibus in temporalibus subjectis Borussiae regi, in quo assignatur pro festo *S. Laurentii* dominica antecedens, quia subsequens reservabatur *Solemnitati Assumptionis B. M. V.* Rogata vero *S. R. C. in Gnesnen.*, quid agendum de festo *S. J. Bapt.*, ubi est Patronus principalis, si in sequenti dominica faciendum sit de festo *ss. Apostolorum Petri et Pauli*? Item de *Nativitate B. M. V.*, si in sequenti dominica occurrat festum *S. Crucis titularis*? Ac tandem de festo *ss. Apostolorum Simonis et Judae*, ubi erant principales Patroni, impedita sequenti dominica, ob occursum *festi omnium Sanctorum*? noluit rem definire sed respondit: *Ad Secretarium cum SSmo. SSmus* vero juxta *mentem Congregationis* declaravit, ad 1.: *Si festum ss. Apostolorum Petri et Pauli occurrat vel in Sabbato vel in Dominica vel in feria II. post festum S. J. Bapt., eo casu tantum in iis locis, ubi ss. J. Bapt. est principalis Patronus oppidi vel pagi, ejus festum transferendum esse cum Officio et Missa ad dominicam praecedentem cum vigilia in Sabbato etiam praecedenti*; ad 3.:

festum Nativitatis B. V. M. transferendum esse ad dominicam praecedentem; ad 5: *Ut ad primum.* Ita autem provisum, ut simul consultum foret occurrence vigiliae, quia utraque habeat Officium et Missam propriam. In casu autem nostro omnino necessaria est anticipatio, quia, cum annus cursus complementum habeat in mense Decembri, nulla dominica superest assignanda festo Patroni, quod cadit in Adventu et festis Nativitatis. Objiciet fortasse quis, *S. C. ad dubium 7. antedictae Gnesnen.* plaudendo voto magistri caeremoniarum, qui insinaverat, celebrandum esse solemnitate in dominica privilegiata, Officium vero transferendum juxta rubricas, anticipationem denegasse. Enimvero proposito dubio secus respondendum non erat, cum non alia, nisi de anticipationem duorum festorum particularium quaestio esset: sed quoniam modo innumeris fere diversisque casibus consulendum est, neque omnibus et singulis una eademque regula aptari possit; ideo *S. C.* respondit, habendam esse rationem in casibus particularibus, quia, attentis peculiaribus circumstantiis singulorum, prout magis expediens erit, providebit. Nam nisi festis illis, quae perpetuo occurrunt in Adventu vel Quadragesima provisum fuerit vel per anticipationem vel per translationem ad certam fixamque dominicam, eorundem Octavae non accidentaliter sed constanter necessario perirent.

Ad dubia 1.: De quo faciendum Officium illo die, qui remanet vacuus ob translationem festi Patroni principalis in diem dominicum?

2.: An illa festa, quae ab ordinariis locorum assignata fuerant (aliis diebus) tamquam propriis, ratione occurrence cum festo Patroni principalis, sublato nunc hoc perpetuo impedimento, quia festa Patronorum principalium habent

saltem rationem festorum mobilium, possint et debeant illa praedicta festa olim amota a propriis sedibus celebrari vel retrogradi suis diebus, quibus assignata fuerunt ab initio in Calendario Romano?

3.: An et quando festum Patroni principalis transfertur in diem dominicum, debeat in feria 6. dictae dominicae praecedente annuntiari in Martyrologio vigilia, si adsit et in Sabbato annuntiari festum Patroni, quod celebratur die dominica et in Sabbato sequenti annuntiari octava?

Et *S. C.* respondit

Ad 1.: „Faciendum officium de feria, nisi aliquod festum prius translatum reponendum sit.“

Ad 2.: „Affirmative, nisi ex hoc sequatur non levis perturbatio et confusio in ordinando Calendario.“

Ad 3.: „Affirmative in Sabbato praecedenti quoad festum, affirmative etiam quoad vigiliam in fer. 6., si adjunctum habeat Officium; secus Negative.“

Et ita etc. N. 4553 ad 7. 8. 9. die 18. Oct. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM
n. 3.

Si annuntietur in Martyrologio pridie, quam celebretur, festum, quod transfertur accidentaliter, potiori jure annuntiandum erit in Sabbato illud, quod a sua sede perpetuo amotum collocatur in dominica infra Octavam vel in alia perpetuo assignata juxta casuum diversitatem, tamquam in sede propria. Et quoniam translatio accidentaliter non est, sed perpetua secumque trahit Octavam et Vigiliam, illa annuntiari debebit in subsequenti Sabbato, haec autem in fer. 6. festum praecedente, quatenus tamen Vigilia habeat Officium; nam illa improprie Vigilia dicitur, quae solam habet abstinentiam et jejunium, ideoque non annuntietur in martyrologio.

Ad dubium 1.: Quaeritur primo: utrum in diebus respectivae horum ss. Patronorum principalium festivitatis, qui infra hebdomadas cadunt, fieri possint Officia et Missae eorum Sanctorum, qui alias celebrari deberent diebus illis dominicis, quibus in posterum substituenda erunt Officia et Missae dictorum ss. Patronorum? Praevideatur enim nullam de Sanctis in dominicis istis per ordinem incidentibus fieri posse memoriam, quia eorum translationi ultra illos dies dominicos locus non erit, praesertim in dioecesi Cajetana, propter tot alios Sanctos remittendos et peculiariter celebrandos ob Indultum Pii Papae VI. a praedicto Episcopo Cajetano Pergamo impetratum.

2. Quaeritur secundo: an hujusmodi Sanctos non Patronos, sed ritus duplicis, remitti permittatur diebus dominicis vacantibus praeter Quadragesimam et Adventum?

Et *S. R. C.* declaravit

Ad 1.: „Translationem festorum Patronorum principalium ad proximam dominicam faciendam esse dumtaxat in civitatibus et locis, in quibus tales revera sunt; in aliis vero locis, in quibus ex speciali Indulto gaudent ritu dupl. 2. cl., sed qualitatem non habent proprii principalis Patroni ac propterea nec adjunctum praeceptum, transferenda non sunt, sed retinere debent diem propriam. Cum vero in qualibet civitate vel loco unus tantum principalis Patronus cum solemnitate duplicique praecepto recolendus sit, difficile erit, quod nulla supersit dies vacua pro reponendo festo occurrente in die dominica, ad quam transferendum erit festum Patroni. Quod si casus accadat, festum, quod locum cedit, reducendum erit ad ritum simplicem per accidens.“

Ad 2.: „Negative, et satis provisum in primo.“

Et ita etc. N. 4558 die 18. Octbr. 1818.

Patronus pr. occurrens cum festo ss. Cordis Jesu; vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 2).

Quatenus festum s. Francisci Xav., Patroni principalis Oppidi, cui nomen a s. Anastasia in dioecesi Nolana, incidat in dom. 1. Adv., transferatur juxta rubricas. n. 4596 die 12. Apr. 1823.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

En alter ex illis casibus a Sacra Congregatione praevisis, quibus aptari nequit regula generalis de transferendis festis Patronorum principalium ad proximam dominicam in civitatibus, oppidis, locis utriusque Siciliae regni, quibus per apostolicas literas in forma Brevis expedita sub die 10. Aprilis 1818 indulta fuit reductio festorum; quamobrem eadem S. C. in Neapolitana 18. Octbr. ejusdem anni datae responsioni ad dubium 6. addidit: *Si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.* Cum igitur s. Franciscus Xaverius novissime datus sit in principem Patronum Oppidi a s. Anastasia nuncupati in dioecesi Nolana, juxta formam praefatae regulae reponendum foret ejusdem festum, tamquam si esset sedes propria, in proximam dominicam; sed fieri hoc nequit, nam vel dies 3. Decembris, in quo praefati Sancti memoria recolitur, occurrit in dom. 1. Adventus, et haec omnia excludit duplicia cujuscumque classis, vel infra hebdomadam primam Adventus, nec poterit reponi in ullam ex sequentibus, quia omnes sunt impeditae usque ad anni finem. Et quamquam dominicae 2. 3. et 4. Adventus sint ritus dupl. 2. cl., ac proinde locum cedant festis 1. cl. accidentaliter occurrentibus, nequeunt tamen ullam ex

his duplicibus admittere tamquam in sedem propriam, veluti accideret, si festum s. Francisci Xaverii, ubi est principalis Patronus, perpetuo celebrandum foret in dom. 2. Adventus. Quomodo igitur providendum? Per anticipationem recolenda erit s. Francisci Xaverii memoria cum Officio et Missa in ultima dominica post Pentecosten, ut S. C. sancivit. Neque novum id est, nam in casibus parum a praesenti diversis simili modo a s. m. Pio VI. et a Sac. Rit. Congregatione provisum fuit pro locis ditioni potentissimo Borussiae regi subjectis, quorum favore indulta fuit fere omnium festorum translatio in proximam sequentem dominicam. Quoniam vero per alterum Breve datum 16. Octobris ejusdem anni potestas facta fuit locorum Ordinariis sub quibusdam conditionibus, ut indulgeant, ne festum Patroni principalis a propria sede amoveatur; ideo S. Congregatio suo Rescripto addidit exceptionem, videlicet, nisi Ordinarius permittat, ut festum s. Francisci Xaverii propriam sedem retineat. Quid autem faciendum, si in hoc casu dies 3. eidem assignata incidat in dom. 1. Adventus? Facilis est solutio. Cum enim hujusmodi occursum accidentaliter sit, et non perpetuus, servari poterit in eadem dominica extrinseca solemnitas, Officium vero cum Missa transferri in diem primam non impeditam juxta Rubricas. Ita responsum fuit in Gnesnen. quoad festum s. Catharinae, quod transferri nequibat in proximam dominicam, dum occurrebat prima Adventus. Nam, cum hujusmodi occursum non perpetuus sed accidentaliter esset, S. C. adhaesit Voto Magistri Caeremoniarum, qui insinuerat, non omittendam extrinsecam solemnitatem in dominica privilegiata, translato Officio juxta Rubricas.

Atque ita intelligenda est postrema pars Rescripti S. C.

Cum festum ss. Faustini et Jovitae MM. ac principal. Patron. Ecclesiae Brixiensis incidens in diem 15. Febr. saepe in Quadragesima vel paulo ante occurrat, omittat octavam seu partem ejus; idcirco S. R. C. demisse supplicatur, ut octava praedictorum Patronorum etiam in Quadragesima celebrari possit juxta tamen decreta hac in re edita. Supplicatur quoque ut incidens festum ipsorum SSrum in fer. 4. Ciner. vel dom. 1. Quadrag. transferri possit in diem immediate sequentem, translato quocumque festo aequalis ritus, non majoris dignitatis et similiter 1. cl. in eam incidente.

S. C. resp.: Negative in omnibus, et serventur rubricae. Die 20. Sept. 1806 in Brix.

h) Vigilia cum jejunio.

Vd.: *Patronus civit.* (Vigilia cum jejunio, decr. n. 4611).

De Patrono principale cf.: *Patron. Cathedralis, Civitatis etc.*; *S. Joannes Bapt.* (transl. decr. n. 4444); *SS. Simon et Juda ap.* (decr. n. 4444); *Dedicatio Eccl.* (Officium etc., decr. n. 3803); *Patrocin. S. Josephi* (decr. n. 4487); *Reductio festor.* (decr. n. 4552).

15) Minus principalis.

a) Cujus ritus?

Vd.: *S. Rochus* (decr. n. 4355).

Festa secundaria Patronorum minus principalium, si celebrantur cum solemnitate, habent in se naturam dupl. majoris, et qualitatem dupl. minoris si absque solemnitate peragantur; Symbolum autem in missis celebrandum non erit, nisi in iis Ecclesiis, in quibus aut s. Corpus aut s. insignes reliquiae asservantur. n. 4134 ad 2 die 1. Decbr. 1742.

b) Non celebr. cum octava.

Vd.: *Patron. princip.* (Octava); *S. Lucia.*

Capitulo et Clero civitatis Ostuni supplicanti pro concessione facultatis con-

tinuandi in celebrando festum s. Orontii cum Octava, non obstante quod in dicta civitate sit alius s. Patronus.

S. C. resp.: Nihil et in posterum absteineant. Die 9. Febr. 1675.

c) Translatio.

Ad dubium: An Patroni minus principales in concursu Officii aequalis ritus, sed dignitate majoris, sint praefereendi?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum*, nimirum: „Negative.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5030 ad 1 die 6. Sept. 1845.

16) Regni.

(Obligatio ad Officium).

Vd.: *Patronus Dioec.* (Oblig. Cleri saec. ad Offic., decr. n. 4842; Oblig. Regul., decr. n. 4941).

De Patrono regni est facienda octava in omnibus regni civitatibus. n. 2207 die 17. Martii 1663.

In die festo s. *Januarii*, Patroni principalis regni Neapolis, fieri debet Officium sub ritu duplici cum Octava de solo s. Januario, et Officium Sociorum est transferendum ad primam diem non impeditam. n. 2283 ad 1—3 die 12. Julii 1664.

De s. *Januario*, Patr. princip. regni Neapolis, Officium fieri debet de comuni u. m. n. 2302 ad 2 die 22. Nov. 1664.

Regulares tenentur recitare Officium de Patrono princip. loci; dubitatur: an sub ly loci comprehendatur etiam Patronus princip. Regni vel Provinciae?

S. C. resp.: Comprehendi etiam dictos Patronos, si liquido constet de concessione apostolica. n. 3019 ad 7 die 20. Martii 1683.

Hoc decretum comprehendit etiam Moniales Ordinariis subjectas. n. 3617 ad 1 die 11. Febr. 1702.

In Hispania die 25. Julii celebratur Officium dupl. 1. cl. s. Jacobi Patroni totius Regni. Quaeritur: an in Ecclesiis particularibus occurrente eodem die festo Patroni earundem Ecclesiarum debeat fieri Officium s. Jacobi ap. Patroni totius Regni translato festo Patroni particularis earundem Ecclesiarum, aut recitari Officium praedicti particularis Patroni, translato Officio s. Jacobi ap.?

S. C. resp.: Attenta excellentia majoris dignitatis juxta rubricas et decreta Officium s. Jacobi ap. Patroni Hispaniarum praeferrere debet in occurrentia s. aliis Patronis Ecclesiarum particularium, dummodo non sint ejusdem vel majoris dignitatis. n. 4507 ad 6 die 8. Apr. 1808.

Ad dubium: Utrum Regulares possint et debeant festum Patroni Regni et Dioecesis, ubi commorantur, celebrare, non obstante celebratione proprii Ordinis Patroni? Et quatenus affirmative, sub quo ritu?

Et Emi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum in omnibus“, videlicet: „Quoad primam partem affirmative, quoad secundam ritu dupl. 2. cl. sine Octava.“

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 16. Apr. 1842 n. 4941 ad 8.

17) Transl. Solemnitatis Patroni in dom.

Vd.: *Patronus princip.* (transl. festi praecipue decr. n. 4596); *S. Anton. de Pad.* (vig. decr. n. 4594); *Dedicatio Eccl. omn.* (transl., decr. n. 5215); *Patron. Dioeces.* (oblig. cleri saec., decr. de die 12. Sept. 1840); *Titularis* (transl. Solemn. in dom. seq.).

Ad dubium: 1. An possit in Missa solemniori Oratio Patroni addi sub unica conclusione Orationi diei, quando solemnitas ejusdem Patroni incidit in dominicam proximam Adventus aut

Quadragesimae, vel an transferri tunc debeat solemnitas in dominicam subsequentem, quandoquidem prohibitum est cantare Missam de Patrono dominica I. Adv. vel Quadrag. juxta Rubricas Missalis tit. VI.?

2. Quid faciendum sit, quando solemnitas Patroni incidit in dominicam Palmarum vel Paschatis Resurrectionis vel Pentecosten?

S. R. C. . . . rescribendum censuit: „Quoad primam quaestionem: Fieri posse sub unica conclusione vel ad libitum transferri; quoad secundam: Solemnitatem esse transferendam.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4910 IV. 1. 2. die 13. (12.) Septbr. 1840.

Quum juxta Indultum de reductione festorum datum Parisiis die 9. Apr. 1802 et posteriora quaedam Decreta solemnitas Patroni cujuslibet Paroeciae sit transferenda in dom. subsequentem, in qua canitur una missa solemnior de festo illo, seu solemnitate more votivo cum unica Oratione et quum plurima dubia circa hanc sanctionem adhuc subsistant, non obstantibus Responsis a S. R. C. jam datis, hinc quaeritur:

1. An haec Missa solemnior de Patrono cantari etiam possit, quando in illa dom. sit Officium de festo dupl. 1. cl. occurrente, dummodo illud festum occurrens non comprehendatur sub dom. et festis, quae excipiuntur in Rubricis gen. Missalis tit. VI. de translatione festorum, et dummodo non sit majoris dignitatis quam ipse Patronus?

2. Si non licet cantare Missam votivam solemnior de Patrono, quaeritur: an ejus commemoratio uniri possit Orationi festi occurrentis sub unica conclusione, vel an potius solemnitas Patroni sit ulterius transferenda in dom. subsequentem juxta Decretum S. R. C. in Mechlinien. die 12. Sept. 1840 ad IV.?

3. Quaeritur, quatenus Missa cantari debeat in Ecclesiis, quarum titulus est Visitatio B. M. V., si solemnitas ss. ap. Petri et Pauli occurrat in ipso festo Visitationis, quod sub ratione tituli habet ritum dupl. 1. cl.: an de festo Deiparae, tamquam de digniori, addita commemoratione ss. Apostolorum, an e contra de ss. Apostolis, quorum solemnitas ea die celebratur in populo per totum Belgium, et ommissa commemoratione festi Visitationis, quod non habet solemnitatem in populo, siquidem alius datur Patronus loci?

4. In locis, ubi Patronus princip. est s. Joannes Bapt., solemnitas ejus interdum coincidit cum solemnitate ss. ap. Petri et Pauli. Quaeritur: an ibidem istae duae solemnitates celebrari possint per modum unius eadem die, Missam scilicet cantando de s. Joanne Bapt. cum commemoratione ss. Apostolorum juxta responsum datum a S. R. C. die 1. Sept. 1838 pro solemnitate ss. Apostolorum et s. Rumoldi in civitate Mechlinien., vel an alterutra solemnitas ulterius sit transferenda?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit

Ad quaest. 1. et 2.: „Juxta Decretum in Mechlinien. 12. Sept. 1840 ad dub. IV.“

Ad quaest. 3.: „Ut ad proximum, et transferatur Missa Visitationis B. M. V.“

Ad quaest. 4.: „Pariter ut ad proximum, et transferatur Missa ss. Apostolorum in casu.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 die 7. Dec. 1844.

Ad dubium: An festum s. Patroni, quod ex dispositione sa. me. Gregorii Papae XVI. transferri debet ad dom. proxime sequentem, si haec dominica praepedita sit, amandare possit ad aliam insequentem dom. vel die propria celebrandum?

S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Transferendum cum Missa tantum ad alteram dom. non impeditam.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 15.

Die 11. Sept. 1847.

Bajocen.

Quum Rmus Bajocen. Episcopus experientia compererit permulta incommoda oriri in celebratione festorum ss. Patronorum, si ad tramites Decreti hujus s. Sedis diei 29. Novbr. 1831 festivitates hujusmodi transferendae sint omnino ad subsequentem immediate dominicam, non autem ad dominicam proximam, quae potest etiam esse ante Natale festum, uti ante promulgationem ipsius Decreti fieri consueverat; ad haec eadem incommoda eliminanda S. R. C. humillime supplicavit, *ut in sua Dioecesi solemnitas ss. Patronorum cujuslibet paroeciae celebrari valeat dominica proximiori non impedita, sive ipsa festum praecedat sive subsequatur.*

Et S. eadem C. ad Vaticanum sub signata die coadunata, re mature perpensa auditaque relatione a Secretario facta, rescripsit: Pro facultate transferendi festa, de quibus in precibus ad dominicos dies non impeditos festo altioris ritus vel privilegiatos, in quibus tamen permittitur Missa votiva solemnior de festo translato; dummodo in Cathedrali Missa de Sancto occurrente non omittatur; quatenus vero dominica proximior sequens sit impedita, tunc festum ut supra fieri permittitur in dominica proximiori praecedenti.

Atque ita rescripsit ac servari omnino mandavit, die 11. Martii 1837 n. 4802.

18) Patronus et Titularis (Differentia).

Vd.: *Titularis et Patronus* (Differentia).